



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCXI. Christus Paßionem suam Discipulis prænunciat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

futurae suae attestationi post Christi Mortem fidem derogarent. Unde discimus etiam utilia ad Proximi Salutem non nisi opportuno tempore proferenda esse: item credita nobis arcana non ante tempus manifestanda, silentiique fidem petenti servandam esse. Similiter optare debemus, ne quam alij de nobis sublimem habent æstimationem, apud alios divulgent.

MEDITATIO CCCXI.

*Christus Passionem suam Discipulis
prænunciat.*

Matth. 16. v. 21. Marc. 8. v. 31. Luc. 9. v. 22.

PUNCTUM I. Exinde capit *JESVS* ostendere Discipulis suis, quia oporteret eum ire Jerosolymam, & multa pati à Senioribus, & Scribis, & Principibus Sacerdorum, & occidi, & tertia die resurgere. Matth. 16. v. 21. Supposita professione, & Fide Discipulorum, quòd ipse esset Filius DEI, voluit Christus ostendere illis, quanta esset passurus, & quòd tantam Dignitatem, ac Excellentiam Filij DEI non ob alium finem sustineret, quam ut multa, & indigna pateretur. Sic honores, & honorata officia non ob alium finem à nobis admitti ac suscipi debent, quam ut plus adversitatum & laborum sustineamus. Hoc modo S. Paulus 1. ad Timoth. 3. v. 1. dixit: *Si quis Episcopatum desiderat, bonum Opus desiderat.* Nempe qui non honorem, sed muneris molestias, cruces, labores desiderat. Voluit etiam Christus Discipulis suis considerandum proponere, quantus ipse esset, & quanta tamen passurus esset, ut

ut, sicut nec ipse, ita nec nos à quantiscunque adversis
 eximi cuperemus, memores, non esse discipulum
 propter Magistrum, nec servum esse majorem Domini
 suo: ut proinde ejus Exemplo animati sequamur Ve-
 stigia ejus.

PUNCT. II. *Et assumens eum Petrus, capit increpa-
 re eum, dicens: Absit à te Domine, non erit tibi hoc. Quo-
 niam conversus dixit Petro: Vade post me Satana, scandalum es
 mihi. v. 22. Quod Petrus ex cæco & insipiente amo-
 re Christo dixit, hoc appetitus sensitivus, amor pro-
 prius, & caro nostra dicit nobis, dehortans nos ab iis
 quæ nos pati oportet pro Salute nostra; cui tamè nos
 Christi Imitatione acriter opponere debemus, pro
 Satana, & inimico ipsum proprium amorem habentes:
 nam, *Qui amat Animam suam, testante Christo, cap. 12. v. 25. apud Joann. perdet eam.* Idcirco amor
 proprio, appetitui sensitivo, & carni re ipsa dicimus:
*Vade post me Satana, scandalum mihi es; nec finamus
 eam antecedere, & ducem agere.* Attendamus, quanto
 desiderio patiendi Christus exarserit, qui eisdem
 resistentem non jam Petri, sed Satanæ nomine, compellat,
 & retrocedere jubet, quem paulò ante ad Apostolici
 culminis fastigium efferre decreverat.*

PUNCT. III. *Quia non sapis ea, quæ DEI sunt, sed
 quæ hominum. v. 23. Considera causam, cur pati horreamus,
 esse defectum veræ & DEO conformis Sapientiæ: insipientium
 enim hominum more tantum respicimus ad præsentia
 momentanea, & levia tribulationis nostræ, non autem
 ad æternam Gloriæ pondus, ad Divinum Beneplacitum &c.*

MEDI-